

XI. Sed unde est orsa, in eodem terminetur oratio. Maximas tibi omnes gratias agimus, C. Caesar, majores etiam habemus, nam omnes idem sentiunt, quod ex omnium precibus et lacrymis sentire potuisti. Sed quia non est stantibus omnibus necesse dicere: a me certe dici volunt, cui necesse est quodam modo, et quod volunt, et quod decet, et quod M. Marcello a te huic ordini populoque Romano et reipublicae reddito, fieri intelligo. Nam laetari omnes, non ut de unius solum, sed ut de communi omnium salute, sentio. Quod autem summae benevolentiae est, quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, praeter eum quidem cederem, nemini, cum id sollicitudine, cura, labore tamdiu praestiterim, quamdiu est de illius salute dubitatum, certe hoc tempore, magnis curis, molestiis, doloribus liberatus, praestare debeo. Itaque, C. Caesar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus a te non conservato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri jam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

ORATIO III.

PRO T. ANNIO MILONE.

Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, cum T. Annio Milo ipse magis de reipublicae salute, quam de sua perturbetur, me ad ejus causam, parem animi magnitudinem asferre non posse; tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui, quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori, et pristinum morem iudiciorum requirunt. Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus. Nam illa praesidia, quae pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid; ut in foro, et in iudicio, quanquam praesidiis